



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitvlvm X. Querelam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

7 Not. II. Licet mulier ex Senatus consulto Velleiano tuta sit, si pro altero fidei iusserit, tamen si fidei iussioni suæ juramentum adiecit, obligatur. Vide quæ docui. l. 4. tr. 3. c. 6. assert. 5. exemp. 9.

8 Not. III. Pontifex ob pecuniarium debitum non solutum, terram debitoris interdicto subiicere potest. Vide quæ dixi. l. 1. tr. 5. p. 14. c. 4. in fine.

CAPITVLVM X.

Querelam.

PARAPHRASIS.

Wilhelmus Clericus, R. Canonico Lincolniensi juratus promisit duos bisantios annuatim se ipsi soluturum, nomine Ecclesiæ De Statera; sed à solutione pensionis per biennium cessauit. Super hoc delata est querela ad Alexand. III. qui Respondit cum Ecclesias regere non mereantur, qui periurii Rei sunt, idèd, si appareat iudicibus à se delegatis ipsum non necessitate, sed voluntate solutionem pensionis omisisse, vt Wilhelmum ab Ecclesia illa remoueant, & R. restituant.

Videtur hæc Ecclesia pertinuisse ad Canonicum R. sed secundum administrationem, & curam actualem in ea positus erat VVilhelmus tanquam Vicarius perpetuus, & intitulatus, ita vt pensionem quotannis solueret Reçtori principali. Cum autem VVilhelmus contra iuramentum solutionem biennio intermisisset, petiit R. Vicarium titulo suo priuari ac remoueri, tanquam periurii crimine irretitum.

S V M M A R I V M.

1. Clericus de periurio conuictus, beneficiis suis priuandus & deponendus est.
2. Non violat promissorium iuramentum, qui illud ob necessarium impedimentum non implet.

3. Mortuo, vel deposito Vicario perpetuo, cura beneficii est penes Rectorem principalem, dum alius substituitur.

NOT. I. Clericus conuictus de periurio beneficiis suis priuandus ac deponendus est, vti habetur. c. Cum non. 10. de iudiciis. Vide quæ docui. l. 1. tract. 3. p. 5. c. 4.

Not. II. Promissorii iuramenti violator, seu periurii Reus non censetur, qui ob impedimentum necessarium promissum non implet, quia necessitas legi non est subiecta, c. 2. de obseruatione ieiunii. & docet gloss. hic, verb. necessitate.

Not. III. Si Vicarius perpetuus moriatur, aut deponatur, interim dum alius substituitur, administratio & cura actualis Ecclesiæ, aut beneficii est penes principalem, ita sumitur ex h. c. in fin. & docui in qq. de elect. q. 208. in fine.

CAPITVLVM XI.

Tua.

PARAPHRASIS.

Præsentati Clerici jurarant patronis, quod maiorem ipsis, quàm antea consuetum erat, pensionem solvere vellent, postea verò cum ab Episcopo iterum instituebantur, iterum jurare debebant, quod antiquam & solitam pensionem patronis præstandam augere nolint. Dubitatum fuit, utro iuramento Clerici stare debeant.

Respondit Lucius III. Cum posterius iuramentum, quod ratione & Lateranensis Concilii auctoritate nititur, præiudicet alteri iuramento priori, quippe quod de cupiditate processit, idèd posterius seruandum; iustum autem esse, vt Clerici ob periurium, quod violare non possunt, ab Ecclesiis remoueantur.

S V M M A R I V M.

1. Patronus Ecclesiæ potest cum Episcopi consensu pensionem annuam sibi soluendam ex ea reservare.

Nihil